

elevat. Hæc autem elevatio mentis fit per operationem Spiritus sancti, regenerationem videlicet, sanctificationem & consecrationem, seu missionem, seu internam præparationem hominis Dei.

IV. *PRECATIO est medium divinum, quo studiosus Theologiæ illuminantem spiritûs S. gratiam indefinenter implorando, sapientiam ac scientiam supernam indipiscitur.*

Cum enim oratio ad omnia valeat, *Matth. 7. v. 7.* potissimum tamen ad divina dona consequenda, quæ in summa Dei benignitate & gratiâ posita sunt, præcipueque ad hoc sapientiæ ac scientiæ donum impetrandum maximè necessaria est, *Luc. 11. 13. ps. 25. 4. 5. 51. 13. 14. 15. 17. & 119. 12. 18. 27. 33. 66. 73. 66. 73. 124. 125. 135. 144.* Proxima enim hujus sapientiæ causa est flagrantissimum ejus desiderium. Flagrantissimum, inquam, quia ad hoc pigri & inertis hominis desideria nihil juvant, de quibus *Prov. 13. v. 4. vult & non vult piger.* Cur ita? quoniam, ut est *Prov. 21. v. 25.* desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quicquam manus ejus operari. Hinc sapiens *Sap. 6. v. 18. verissimum*, inquit, *principium illius (sapientiæ) est disciplina cupiditas.* Et, *c. 7. v. 7.* Et Syracides *c. 24. v. 22.* Et Salomon de eadem sapientiâ differens *Prov. 2. v. 4. & 5.* Si, inquit, *quæsieris eam velut argentum, & tanquam abditos thesauros scrutatus fueris eam, tunc intelliges & verentiam Domini, & agnitionem Dei consequeris.*

Hoc autem desiderium, quod à spiritu S. proficiscitur, frustra esse nequit, juxta illud *Prov. 10. v. 3.* & pios in oratione diu perseverantes Deus miris consolationibus ac deliciis oblectare, eorumq; viscera aquâ salutaris sapientiæ rigare atq; fœcundare solet, *Esa. 56. v. 7.* Nec saporem modò, sed cognitionem quoq; divinarum rerum præcatio præbet, *Ps. 34. v. 5. Deut. 33. v. 3. Jac. 1. v. 5.* Cujus rei locupletissimum exemplum sub V. T. reliquit David *Psal. 119. toto* quidem, maximè *verò v. 18.* Et sicut sacerdotes V. T. cum precibus Deo hostias quotidie obtulerunt pro se & pro populo, *Exod. 29. 39. Lev. 9. 7.* ita sacrarum literarum studiis dediti, assiduè orabunt pro illius conservatione & propagatione, *Matth. 9. 38. Ephes. 6. 18. 19. Col. 4. 3. 2. Thess.*